REGV[illegible]

GENER[illegible]LES

[illegible] Constitu[illegible]

[illegible] Societ[illegible]

IESV [illegible]

[illegible]cerpt[illegible].

Cum [illegible] Superi[illegible]

B[illegible]

Apud Philipp[illegible]

REGVLAE generales quædã, ex constitutionibus excerptæ, quę ab omnibus obseruari debent.

SVMMA Sapiẽtia, & bonitas Dei creatoris nostri ac Domini est quæ cõseruatura creditur, gubernatura, atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam societatem IESV, vt eã ir re dignata est: ex part tis, interna charitat ris lex, quam Sp scribere & in

dibus ſolet, potius quàm vlla externa conſtitutio ad id iuuabit: quia tamen ſuauis diuinæ prouidentiæ diſpoſitio ſuarũ cooperationem exigit creaturarum: & quia Chriſti Domini noſtri Vicarius ita ſtatuit, & Sãctorum exempla, et ratio ipſa nos id docet: neceſſarium eſſe arbitramur, vt conſtitutiones, quæ iuuẽt ad melius in via incœpta diuini obſequij, iuxta inſtituti noſtri rationem, progredien- conſcribantur.

& illud neceſſariũ eſt, e in Societatem ad- xoptẽt in Domi- eruare conſtitu tiones

tiones omnes, & regulas, modumq́ue procedendi illius: & ex totis viribus atque ex animo adnitantur, diuina gratia adiuuante, perfectam horum omniũ obseruationẽ præstare.

3 *Ratio viuendi Societatis in exterioribus, iustas ob causas, (maius DEI obsequium semper intuendo) cõmunis est. Nec vllas ordinarias pœnitẽtias, vel corporis afflictiones, ex obligatione subeundas habet. Hæ tamẽ duobus modis assumi possunt: vel cùm quisq; ad maiorẽ sui spiritus profectũ, eis sua spõte (cum approbatione tamẽ Superioris) vtetur; vel cùm Supe-*

rior ad eundem finẽ iniunget.

4 *Post ingressum in Domum, nemo pecuniam nec apud se, nec apud alterũ habere potest.*

5 *Cùm quis in domũ admissus est, non debet cõmunicare cum amicis, aut cõsanguineis, præsertim in initiis: nec literas accipere, nec scribere, nisi iustas ob causas, aliud Superiori, vel alteri, cui hoc munus Superior iniũxisset, videretur. Et quãdiu domi fuerit, nõ debet scribere, nec mittere literas iniussu Superioris, cui ostendendæ sunt: nec accipere ad se aliunde scriptas, nisi per manũ ipsius, cuius erit iudicare, conueniat nec ne redde-*

reddere, vel mittere literas.

6 *Vnusquisque eorum, qui Societatem ingrediũtur, consiliũ CHRISTI Domini nostri sequẽdo, existimet ac statuat sibi patrẽ & matrem, fratres, sorores, & quidquid in mũdo habebat, esse relinquendũ. Curẽt autem, vt omnem carnis affectũ erga sanguine iunctos exuant, & illum in spiritualem cõuertant, eosque diligant eo solùm amore, quem ordinata charitas exigit.*

7 *Ita viuere debent, vt mundo, & amori proprio mortui, Christo Domino nostro soli viuentes, cumque loco patris, fratris,*

& rerum omnium habeant.

8 *Omnes, qui Societatem ingrediuntur, debent ad maiorem in ſpiritu humilitatis profectum, æquo & libenti animo id accipere, vt omnes errores & defectus, qui in ipſis notati atque obſeruati fuerint, Superioribus ſuis per quemuis, qui extra cõfeſſionem eos cognoſceret, manifeſtentur.*

9 *Debet item quiſque boni cõſulere, ac paratus eſſe et ab alijs corrigi, & ad aliorũ correctionẽ debita charitate iuuare, ob maiorem in ſpiritu profectum, præſertim vbi ei fuerit à Superiore præſcriptum.*

10 *Qui in Societatem recipiuntur, debent diligenter hæc, quæ ſequuntur, conſiderare, et perpendere in conſpectu Dei Creatoris ac Domini noſtri:*

11 *Quantopere conducat, & valeat ad vitæ ſpiritualis profectũ, omnino et nõ ex parte, abhorrere ab iis omnibus, quæ mundus amat & amplectitur: amare autem, & concupiſcere totis viribus, quicquid Christus Dominus noſter amauit, et amplexus eſt. Quemadmodũ autẽ mundani homines tãto ſtudio quærũt, & cõſectantur honores, famam, &c: ſic ij qui in Spiritu procedũt, & ſeriò Chri-*

stũ Dominum nostrum sequũtur, ament, & ardẽter expetãt, quæ iis omnino contraria sunt, & induãt eandẽ vestem, atque insignia Domini sui, pro diuino ipsius amore, ac reuerentia, adeò, vt si sine offensione vlla Diuinæ Maiestatis, & absque proximi peccato foret, optare debeãt contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, et stulti haberi, (nulla tamẽ ad id data occasione) vt aliquo modo Creatorẽ, ac Dominũ nostrũ Iesum Christum imitentur: quandoquidem huius rei exemplũ nobis præbuit, & viam quæ ad veritatem et vitam æternam ducit,

cit, ille aperuit, & muniuit.

12 *Magni refert, imò necesse est, non solùm iis, qui in probatione versantur, sed etiã omnibus, qui in Societate viuunt, omnes imperfectiones exuere, ac semouere à se quicquid sibi potest in susceptis propositis impedimento esse.*

13 *Cum iis igitur personis, & iis de rebus agant omnes, quæ iuuant ad id consequendum, quod in Societate, ad obsequiũ Dei Domini nostri, sibi proposuerunt, in via spiritus progrediendo.*

14 *Domo non egredientur, nisi, quando, et cum quo socio, Superiori*

periori visum fuerit.

15 Nec domi hi cum illis liberè, pro suo arbitratu agent, vel colloquentur: sed cum iis tantùm, quos Superior destinabit, ad aliorum spiritualem ædificationem atque profectum.

16 Omnes diligentissimè studeāt portas suorum sensuum custodire, & præcipuè in visu, auditu, & locutione, ab omni affectu inordinato abstinere, & semper pacē, veramq́ue humilitatē suæ animæ retinere, eāq́ue in exterioribus, in silētio, cùm id obseruandū est: cùm autem loquendum, in ædificatione, & circumspectione verborum, & mode-

modestia vultus, ac decore, siue grauitate incessus; motusque omnis, sine vllo impatientiæ, vel superbiæ signo exhibere, ac præ se ferre. Quin potiꝰ in omnibus optent, & studeant seipsos humiliare, potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tã quam sibi superiores ducendo, & exterius honorẽ, & reuerẽtiã, quã exigit cuiusque status, cum simplicitate, et moderatione religiosa exhibendo: atque ita fier, vt se mutuò cõsiderantes, omnes in deuotione proficiant, & ad Deum Dominum nostrum laudandũ excitentur.

27 *Debent dare operã, vt quisque*

in

in altero Deũ Dominũ noſtrũ, vt in ſua imagine, agnoſcat.

18 *Qui Sacerdotes non ſunt, octauo quoque die cõfitebuntur, & Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum accipient, niſi confeſſario, aliquod eſſe ad cõmunionem impedimentum, videretur.*

19 *Sacerdotes facti, vt minimũ, octauo quoque die confeſſione, crebrius Miſſæ ſacrificiũ offerent: ita tamen id eſt accipiẽdum, vt ſimul ordinationes vel conſtitutiones alias domus (vt in eius regulis edocti erũt) obſeruent.*

20 *Omnes, qui Domi ſunt, in ediſcẽ-*

ediſcēda doctrina Chriſtiana, ſi eam ignorent, ſe exercebunt.

21 *Omnes item in prædicatione exerceantur, quos Superior exercendos iudicabit.*

22 *Victus, veſtitus, & lecti rationem quiſque cogitet fore, vt pauperibus accommodatam. Quicunque verò Societatē ingrediūtur, perſuadeant ſibi, eorum, quæ domi erūt viliſsima, ipſis datū iri, propter maiorem ſui abnegationem, & ſpiritualem profectum.*

23 *Debent omnes ea officia, ac miniſteria, à quibus ſenſus magis abhorret, magis expetere, eoque prōptius, atque libentius ſuſci-*

ſuſcipere, cùm iubentur.

24 *Vbi quis coquo inſeruit, debet illi cùm magna humilitate in rebus omnibus ad ipſius officiũ pertinentibus obedire, & hoc quod de obedientia erga coquũ dicitur, in aliis humilibus officiis intelligatur, vbi quis in eis miniſterium ſuum, operamue præbet: atque eodem modo accipiatur in officiis ſub ordinatis eorum, qui accepta à Superiore authoritate Domũ gubernant.*

25 *ÆGritudinis tempore, vnuſquiſque obedientiam præſtare debet magna cùm puritate, nõ ſolùm Superioribus ſpiritualibus, qui ipſius animam regunt,*

ſed

ſed etiam cum eadem humilitate medicis corporalibus, & infirmorum præfectis, qui corpus curant.

26 *Qui in morbum inciderit, humilitatem et patientiam ſuam præſeferendo, non minorē ædificationem, dum ægritudine laborat, iis, qui ipſum inuiſent, et cum ipſo verſabuntur, quàm cùm corpore valebat, ad maiorem Dei gloriam præbere ſtudeat: curetque ex ſua infirmitate fructum ſibi ad aliorum ædificationem colligere, eam beneficij loco à Deo Creatore & Domino noſtro collati ducendo: cùm non ſit minoris, quàm ſa-*

nitas æstimanda.

27 *Quicunque in Societatem receptus est, debet esse paratus ad recipiēdas, & implendas quasuis pœnitentias, per hunc, vel illū, pro suis erratis, atque defectibus irrogatas, atque ad perfecte obediendum in his omnibus supradictis, cæterisque quibuslibet rebus.*

28 *Quisquis in Societate ad maiorem Dei gloriam viuere volet, priusquàm ad primam probationē accedat, vel postquàm ingressus fuerit, antequā generaliter examinetur, vel (si Superiori differendū videretur) post examen intra aliquot dies sub*

sigil-

ſigillo confeßionis, vel ſecreti, vel quocunque modo ei placuerit, debeat conſcientiam ſuam magna cum humilitate, puritate, et charitate aperire, re nulla, quæ Dominũ vniuerſorum offendat, cælata: & totius anteactæ vitæ reddere rationem integram, vel certè rerũ maioris momenti, Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ille iniunget: & vſque ad profeßionẽ quidem, ſexto quoque menſe: poſt profeßionem verò, ſingulis annis: rationẽ item ſuæ conſciẽtiæ reddet dimidiati vel totius anni, vt in omnibus melius in Domino procedatur, ipſique

magis in spiritu cũ gratia vberiori, ad maiorem diuinæ bonitatis gloriam, proficiat.

29 *In corporis refectione curandum est, vt temperantia, modestia, & decẽtia interius & exterius obseruetur, in benedictione, & gratiarum actione cõueniens deuotio, ac reuerentia: et dum corpus edendo reficitur, sua etiam animo spiritualis refectio in Domino ex lectione vel concione, quæ tum temporis habetur, præbeatur.*

30 *Detur opera, ne otium, malorum omnium origo, quoad eius fieri poterit, domi locũ habeat.*

31 *Discant omnes experiri sancta*

Et æ paupertatis virtutem, nulla re tanquam propria vtentes.

32 *Intelligant etiam se non posse quicquam, quanuis vilissimi pretij, vel momenti, ex his, quæ domi sunt, mutuum dare, vel accipere, vel disponere sine Superioris consensu.*

33 *Studeant item in suis Spiritualibus exercitationibus, & deuotionibus, à Dæmonis cauere illusionibus, & simul rationes teneant, quibus & ad superandas tentationes vtantur, & veris, solidisque virtutibus consequendis insistant, siue plures adsint consolationes spirituales siue pauciores, curentque*

omnes ſemper in via diuini ſeruitÿ progreſſum facere.

34 *Vtantur quotidie ſuæ conſciẽtiæ examinatione.*

35 *Sit vnus omnium confeſſarius à Superiore conſtitutus: quod ſi id fieri nequit, quiſque certè ſuum ſtabilem habeat cõfeſſarium, cui ſuam conſciẽtiã prorſus aperiat.*

36 *Admoneãtur item, quòd nullam debeant ſuum confeſſariũ, vel Superiorem cælare tentationem: Imò verò totam animam ſuã, defectus, pœnitentias, mortificationes, deuotiones, ac virtutes oẽs, illis notas eſſe atque perſpectas gaudere debent, volũtate*

luntate pura optantes ab illis dirigi, ſicubi à rectitudine deflecterent.

37 *Nemo autem velle debet ſuo ſenſu duci: ſed illum eius iudicio ſubiicere, quem Chriſti Domini noſtri loco habet.*

38 *Anteuertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis, vt cũ quis animaduertitur ad ſuperbiã eſſe propẽſus, exercendus eſt in rebus humilioribus, & abiectioribus, quæ ad humilitatem adiuturæ credentur: Et ſic de aliis prauis animæ propenſionibus, atque tentationibus intelligatur.*

39 *Debet quiſque cum vero e-*

mendationis, & spiritualis profectus desiderio, pœnitentias omnes prompta voluntate, ac libenti animo admittere.

40 Idem *sapiamus omnes, idem omnes dicamus vt Apostolus admonet. Doctrinæ dissonantes non admittãtur, nec verbo, nec libris scriptis: Libri verò nec scribi, nec edi debent sine peculiari approbatione, atque consensu Superioris.*

41 *In rebus item agendis iudiciorum diuersitas euitetur, quæ solet esse mater discordiæ, & inimica vnionum volũtatum: quæ vnio atque cõformitas mutua et fraterna, quàm diligẽtissimè*

ſimè quærẽda eſt, et cõſeruãda.

42 *Omnes ſuum tempus certum rebus ſpiritualibus impendant: & deuotioni quærendæ pro mẽſura diuinæ gratiæ ſibi commu nicandæ, inſiſtant.*

43 *Tractent ſæpe de ſui abnegatione, de virtutibus, de omnimoda perfectione, ad eã ſe mutuò adhortantes, & præcipuè ad vnionem, & charitatẽ fraternam.*

44 *Magnopere confert, deuotè, quoad eius fieri poterit, ea munera obire, in quibus præcipue humilitas, & charitas exercetur.*

45 *Et in vniuerſum loquendo,*

quò quis arctius se cũ Deo coniunxerit, quòque liberaliorẽ erga diuinam eius Maiestatem se præstiterit, eò largiorẽ illum in se experietur, & ipse indies magis idoneus erit, ad gratias, & dona spiritualia vberiora recipienda.

46 *Expedit in primis, vt omnes internæ obedientiæ se dedant: Superiorem (quicunque ille sit) tanquam Christum Dominum nostrum intuentes, interna illum reuerentia, & amore prosequãtur: Nec solùm in externa executione eorum, quæ iniungit, integrè, promptè, fortiter, & cum debita humilitate,*

sine

ſine excuſatione, & obmurmu ratione obediant: (licèt difficilia, & ſenſualitati repugnũtia iubeat:) verùm etiam nitantur reſignationem, et abnegationẽ veram propriæ voluntatis, et iudicij habere, velle, ac ſentire ſuũ cum eo, quod Superior vult, & ſentit, omnino conformantes. Cuius quidem Superioris volũtatem ac iudicium, pro regula ſuæ voluntatis & iudicij, ſibi proponent, & ſequentur: quò perfectius primæ ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis, et iudicij, quæ eſt æterna bonitas & ſapiẽtia Dei Domini noſtri, conformentur.

Quod

47 *Quoad obedientiæ virtutem attinet, conuenit atque adeò necessarium est, vt omnes nō modò Superiori Societatis, vel domus, sed etiam subordinatis officialibus perfectè obediant. Idcirco adnitātur, & assuescāt nō intueri, quis ille sit, cui obediūt, sed potius quis ille propter quem in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus noster.*

48 *Omnes rectam intentionem, nō solùm in statu vitæ suæ, sed etiam in omnibus particularibus rebus habere contendant: & semper in omnibus sincerè spectent, vt seruire, & placere diuinæ bonitati possint propter*

se

ſe ipſam , atque adeò propter charitatem,& eximia benefi-cia quibus nos præuenit potius, quàm propter timorē pœnarū, vel ſpem præmiorum , quamuis hinc etiam iuuari debeant.

49 *Admoneantur omnes, vt aſ-ſiduè Deum Dominum noſtrū in rebus omnibus quærant.*

50 *Et ſtudeant , quantum fieri poterit, amorem omnium crea turarū exuere, & affectū vni-uerſum in ipſarum Creatorem conferre: eum in omnibus, & omnes in eo, iuxta ſanctiſsimā ac diuinam ipſius voluntatem amando.*

51 *Studium, in quod & illi, qui*

in

in probatione versantur, & cæteri omnes incumbent, id esse debet, quod eos magis ad superius dictam sui abnegationem, & in virtutibus, ac deuotione profectum iuuabit.

52 *In domibus & collegiis sit aliquis semper, qui singulis hebdomadibus, vel certè decimoquinto quoque die hæc, & similia, in memoriam omnibus redigat.*

53 *Omnes verò, qui in probatione sunt, hæc legere teneantur, ne pro nostræ fragilis naturæ conditione obliti, ab eorum executione cessent.*

54 *Aliquoties singulis annis, o-*

mnes

mnes à Superiore sibi aliquam pœnitentiam iniungi, propter defectum obseruationis regularum petant, ut hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali, in via Domini quisque habere debet.

55 *Nimia sollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, meritò est reprehensibilis.*

56 *Cura moderata tuendæ ad Diuinum obsequium valetudinis, ac virium corporis, laudabilis est, & ab omnibus adhibenda.*

57 *Hæc autem cura, quamuis Superiorū propria esse debeat, omnes tamē cùm animaduer-*

terint,

terint, aliquid ſibi nocere, vel quid aliud neceſſarium eſſe circa victum, veſtitum, & habitationem, officiũ, ſeu exercitum: Superiorem, vel quem ad id Superior conſtituerit, admonere debent: duo interim obſeruantes: vnum, vt antequam ad eum quid referant, ſe ad orandum pauliſper recipiant, & poſt orationẽ ſi ſenſerint rem eſſe proponendam, proponant: alterũ, vt vbi verbo aut ſcripto (ne memoria excidat) rem expoſuerint, Superioribus omnem expoſitæ rei curam relinquant, & quicquid illi ſtatuerint, optimum eſſe ducant: nec contendent,

dẽt, nec vrgebũt vel per ſe, vel per alium, ſiue cõcedatur quod petitur, ſiue non: ſibiq́ue perſuadeant, quod Superior, re intellecta, ſtatuerit, id magis ad diuinum obſequium, ac ſuũ maius bonum in Domino expedire.

58 *Mentalia exercitia externis interrumpi debent, et non cõtinuari ſine diſcretionis mẽſura.*

59 *Corporis caſtigatio immoderata eſſe nõ debet, nec indiſcreta in abſtinentiis, vigiliis, aliiſq́ue externis pœnitentiis ac laboribus, quæ & detrimentum corpori afferunt, & maiora bona impediunt.*

60 *Ideo conuenit, vt quiſque ſuo*

confeſſario, aut Superiori expli cet, quicquid in hoc genere faciat. In omnibus autem curandum eſt, vt maiori cum lumine procedatur, et in animis, atque corporibus noſtris, Deo ac Domino noſtro maior gloria deferatur.

61 *Quod ad externarum rerum conſeruationem pertinet, ea ab omnibus cura adhibeatur, quā ſingulis ratio, charitaſque præſcribit.*

LAVS DEO.

REGVLAE COM-munes iis qui ſunt in Societate IESV. Quædam ſunt quæ ad priuatum cuiuſque bonum ſpectant: quædam quæ ad commune bonum pertinent.

Quæ ad priuatum cuiuſque bonum ſpectant.

PRAEFINITVM ſibi tempus quotidiano examini, orationi, meditationi, lectionique omnes impendent, cum omni diligentia in Domino.

2 *Omnes quotidie Sacro decenter interſint: & concionem, le-*

ctionemue sacram, quæ in templo nostro habebitur, audiant.

3 *Singuli statuto die, et aßignato sibi confessario confiteatur: & non alteri sine Superioris facultate.*

4 *Cum quis offensam suam valetudinem sentit, præsertim febri, eum admoneat, qui ægrotantiũ curã gerit, aut ex Superioribus aliquem. Nemo verò medicinam aliquam accipiat, aut medicum eligat, vel consulat, nisi approbante Superiore.*

5 *Vt consulatur valetudini, nemo extra cõsueta tempora absque facultate bibet.*

6 *Aperta fenestra nemo noctu dormiat*

dormiat nec ſine linea interula, aut non coopertus.

Quæ ad commune bonnm pertinent.

7 QVI domo ſunt exituri, cũ facultatẽ à Superiore petunt, ſimul etiam aperiãt, quò, et ad quam rem ſunt ituri, præſertim ſi prælatos, aut alios viros primarios cõuenire velint: eademque die referent eidem, quid egerint, ſicut velle ipſum intelligent, prout res poſtulauerit.

8 *Ingreſſuri, egreſſuriue domũ, tintinabulum nec vehemẽtius,*

nec festinantius pulsent, quàm par est. Nemo autem egrediatur, vel ingrediatur, nisi per cōsuetam domus ianuam, admonito ianitore, quò sit profecturus.

9 *Nullus ad sui mortificationē publicè quidquam faciat, nec concionetur, nisi Superiore approbante.*

10 *Omnes ante noctem, qui foris sunt, se domū recipiant, nec manè ante ortam lucem egrediantur, nisi Superiori aliter videretur.*

11 *Dum quis iter faciens ad domum, vel collegium Societatis diuertit, eius obedientiæ subiaceat,*

ceat, qui illic præeſt, in iis rebus, quæ ad domus, vel Collegij diſciplinam pertinent.

12 Cum externis domi nemo loquatur, aut alios ad id vocet ſine facultate generali aut particulari Superioris.

13 Nemo cuiuſquam externi ad domeſticum, aut domeſtici ad externum mādata deferat, aut literas, inſcio Superiore. Seculares autem rumores, qui foris audiuntur, domi ne temere, aut ſine fructu narrentur.

14 Seruent omnes ſilentiū cum perſonis, & in locis, ac temporibus conſtitutis: niſi perpaucis, aut neceſſario loquendum

esset: & omnes demissa voce, (vt religiosos decet) loquātur.

15 *Nemo cum iis, qui in prima versantur probatione, (inscio* Superiore) *loquatur, exceptis vsitatis salutationibus, quas, cum obuij fiunt, charitas religiosa exigit.*

16 *Ad maiorem vnionem eorũ, qui in* Societate *viuunt, maiusque auxilium eorum, apud quos habitant, singuli addiscāt eius regionis linguam, in qua resident, nisi fortè ipsorum natiua illic esset vtilior, salua tamen latini sermonis lege in iis, qui literis dant operam.*

17 *Qui facultate accepta, ægro tos*

tos inuiſent, meminerint demiſſa voce loqui, et ea quidem, quæ exhilarare et cōſolari egrotos, et circūſtantes ædificare in Domino poßint.

18 *Caueant ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus ſiniſtrè ſentire, aut loqui ſolent: quin potius & bene ſentiāt, & peculiari affectu diuerſas à ſua nationes proſequātur in Domino: ac proinde nemo bella, cōtentionesue inter Chriſtianos Principes in colloquiū inducat.*

19 *Nemo ab externis conſilium petat inconſulto Superiore.*

20 *Nemo ſcriptas dabit, aut mit-*

tet cuiquam externo vel dome stico instructiones spirituales, aut meditationes: nec exercitia Spiritualia Societatis alicui cōmunicabit, nisi à Superiore id approbetur.

21 Nemo in locum alieno ministerio deputatum ingrediatur sine facultate Superioris, aut præfecti illius loci in rebus necessariis.

22 Cui fuerit alicuius rei cura commissa, si impedimentum aliquod interuenerit, admoneat aliquem ex Superioribus maturè, vt illi rei prouideat.

23 Nemo alicuius negotij, etiam pij, sine facultate Superioris, curam

ram ſuſcipiat, nec ad id operã ſuam promittat, aut ſe propenſum oſtendat. Secularia verò negotia, quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena, et auocãt vehemẽter à ſpiritualibus, multò magis auerſari conuenit.

24 Nemo alios quidquã iubeat, niſi quibus per Superiorem licet: nec ſe alieno officio immiſceat, aliosue reprehendat.

25 Nullus ad Sacerdotium, vel mutandum in Societate gradũ adſpiret: nec quempiam alium ex noſtris ad id petendum hortetur.

26 In abſtinẽtia ſextæ feriæ Societatis conſuetudo obſeruetur.

Oẽs

27 *Omnes caput aperiant ſuis Superioribus, & laici Sacerdotibus, Diſcipuli etiam ſuis præceptoribus. Omnes autem alloquentur Superiores magna cũ reuerentia: & iis, quem Superior alloquitur, aut reprehendit, humiliter & ſine interpellatione audiat.*

28 *Si cui à Superiore aliquid denegatum fuerit, alium Superiorem ne adeat ſuper ea re, quin ei aperiat, quid ſibi ab alio fuerit reſpõſum, et quas ob cauſas.*

29 *Nemo in alienum cubiculum ingrediatur ſine generali, aut ſpeciali Superioris facultate: quòd ſi eſſet aliquis intus, non*

prius

prius ingrediatur, nec aperiat oſtium, quàm poſt pulſum audiat, ingredere: et tandiu aperta ſit ianua, quàndiu intus vnà fuerint: nec vllus ita cubiculũ ſuum claudat, quin aperiri extrinſecus poßit: nec quiſquam arcam habeat obſeratã abſque Superioris facultate.

30 *Nemo vel affiget, vel euellet aliquid ex ſuo cubiculo iniuſſu Superioris.*

31 *Nemo rem vllam ex domo, vel ex alterius cubiculo ſibi vſurpet ſine Superioris licentia.*

32 *Libros nemo habeat ſine facultate: in iis verò, quibus vti licet, nec ſcribatur quidquã, nec*

notæ

notæ vllæ imprimantur.

33 *Vt grauitas & modestia, quæ religiosos decet, seruetur, nemo alium, etiam ioco, tangat, præterquàm amplexando in signũ charitatis, cùm quis aut abit, aut redit peregrè.*

34 *Nemo cubiculũ egrediatur, nisi decenter vestitus.*

35 *Nemo eorum qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discat, aut scribere: nec eum quisquam doceat, sine Præpositi Generalis facultate: sed satis iis erit, sancta cũ simplicitate et humilitate CHRISTO Domino nostro inseruire.*

36 *Nemo, dum mẽsæ accumbit,*

caput

caput aperiat cuiquam ex domeſticis, præterquàm ei, qui tòti domui præeſt.

37 *Cùm in menſa cuiquā deeſt aliquid, qui illi aſsidet, eum admoneat qui miniſtrat.*

38 *Singuli, etiā ſacerdotes, cùm primum ſurgunt, lectum operiant, eumque & reliqua componant hora conſueta: & ſcopis cubiculum verrāt tertio ſaltem quoque die: exceptis iis, qui ob occupationes maioris momēti, aut valetudinis, iudicio Superioris ſubleuari debent.*

39 *Mundities, quæ & ad valetudinē, & ad ædificationem confert, omnibus curæ ſit, tā circa*

ſeipſos,

ſeipſos, quàm circa alia omnia.

40 *Singuli regulas habeant, eaſque & intelligant, & ſibi faciant familiares, vt promptè, cùm opus fuerit, in praxim exeãt. Earum autem memoria, menſibus ſingulis, legendis vel audiẽdis illis, renouetur. Omnes verò, qui peculiaria miniſteria obeunt, regulas ſui officij octauo quoque die relegant.*

LAVS DEO.